casu, non omnibus prompte subjacere: nisi tamen creditor fuerit; qui *ad hoc ipsum* mutuavit, *ut militia illi emeretur*: alioqui aliis creditoribus non prompte damus hoc, sed si quidem filii fuerint aut uxor defuncti, istos omnibus præponimus [1] modis, ut adeant nos: & secundum jussionem nostram hoc habeant, non [2] tanquam paternam hereditatem, si in aliis inops sit, sed tanquam imperialem munificentiam: ut & substantiam relinquentibus, & non habentibus, merito solatium præbeamus. Si vero nullus eis neque filius neque uxor fuerit, neque creditor qui ad ipsam militiam mutuavit: tunc & aliis creditoribus præbemus hoc, ne videamur inhumanum aliquid facere, & non propter piam & Deo placentem actionem ponere legem. De militia quippe spectabilium Silentiariorum [3] proprie datis & largitis eis privilegiis in sua virtute manentibus.

CAP. VI.

De muliere inope indotata [4].

QUoniam [5] vero ad clementiam omnis a nobis aptata est lex, videmus autem quosdam cohærentes mulieribus indotatis, deinde morientes & filios quidem ex lege vocatos ad paternam hereditatem, mulieres autem licet decies millies in statu legitimæ conjugis manserint, attamen eo quod non sit facta neque dos neque antenuptialis donatio, nihil habere valentes, sed in novissima viventes inopia [6]: proterea sancimus providentiam fieri etiam harum & in successione morientis, & hujusmodi uxorem cum filiis vocari. & sicut scriptimus legem [7] volentem, si sine dote existentem uxorem vir dimiserit, quartam [8] partem ejus substantiæ accipere eam: sic etiam hic, quoniam contingit [9] forte paucos aut plures esse filios, quartam partem ejus substantiæ habere mulierem, sive plures, sive minus filii fuerint. Si tamen legatum aliquod reliquerit ei vir minus quarta parte, compleri [10] hoc: ut sicut læsas eas juvamus, si forte dimissæ fuerint a viris indotatæ consistentes: ita vel si perduraverint semper cum eis, eadem fruantur providentia, scilicet omnibus secundum instar illius nostræ constitutionis quæ quartam decernit eis, etiam hic servandis similiter quidem in viris [11], similiter autem in mulieribus, communem namque etiam hanc super eis ponimus legem, sicut & præcedentem.

§. 1. Si vero quasdam res proprias mulier in domo viri aut alibi repositas habuit, harum actionem [12] & retentionem habeat omnibus modis imminutam: subjacere hujusmodi rebus viri creditoribus nullo modo valentibus: nisi forte secundum quod in illius jure ex hac lege heres extiterit. §. 2. Hæc itaque dicimus, si conjunctorum alter dotem aut antenuptialem donationem non faciens, inops aut vir aut mulier inveniatur, & moriens quidem aut vir aut mulier locuples fit, ille vero vel illa superstes pauper existat. Nam si aliunde [13] forsan habeat: non offerentem dotem, aut non dantem propter nuptias donationem, non erit justum gravare filios per successionem: quoniam lex alia est nostra dicens dotem non [14] offerentem, non posse res viri acquirere per antenuptialem donationem, quod etiam volumus hic obtinere: nisi tamen ipse vir aut legatum ei, aut aliquam partem institutionis reliquerit, fieri namque hoc nullo invidemus modo: ut omnibus modis concordantiæ legum serventur, & inopia conjugis per divitias salvetur alterius.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, tua celsitudo in omnibus valere, effectuique contradere festinet, per præcepta a se conficienda universa faciens manifesta, quatenus ipsi secundum hæc vivant etiam, & conversentur. Dat. 10. Kalend. Octobr. Imper. Dom. Justin. PP. A. anno XI. post Cons. BELIS. V. C. Anno secundo [15].

TIT. IX.

CONSTITUTIONEM [16] QUÆ EX ADSCRRIPTIO [17] ET LIBERA NATOS, LIBEROS ESSE VULT, NON IIS QUI ANTE CONSTITUTIONEM NATI SUNT, SED QUI POST CONSTITUTIONEM, PRODESSE: ET UT NE [18] VENERABILES DOMUS COMMUTATIONES FACIANT ADINVICEM IMMOBILIUM RERUM ECCLESIASTICARUM, DECRETO PRIUS INTERPOSITO, EXCEPTA HAC MAJORI ECCLESIA.

NOVELLA CONSTIT. LIV.

Imp. Justinian. August. Joanni præfecto prætorio, iterum exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

IN quadam [19] nostrarum constitutionum nihil obscuritatis habente, motæ sunt quæstiones ab aliquibus ex studio & ad suam intentionem obscuritatem ei introducentibus. Cum [20] enim *libertatis amatores simus*: nuper posuimus legem [21], *ut non secundum antiquitatem* [22], *si ex adscriptitio & libera persona processerit soboles, omnino eam sequi adscriptitiam fortunam secundum servitis fortunæ observationem: sic etiam super adscriptitiis putari: & secundum ventris statum, ejus etiam qui nascitur considerari fortunam.* Ex libera [23] namque matre procedere servilem partum, nostra benefaciens noluit lex: quoniam diximus in lege, si quidem conjuncti sunt mulieribus, sive etiam conjuncti fuerunt, & filii procreantur: ita legem, in iis qui procreantur valere. Quidam autem sic fatue aut callide interpretari ausi sunt legem, ut etiam si ante [24] constitutionem nati sunt aliqui, vel si valde sint senes, putent eos liberari tanquam modo natos, & non longe præcedentes legem: cum utique nos hunc habuerimus intellectum, ut si cohærent jam quidem uxoribus, & post legem filii procreati essent, aut non cohærent quidem, postea vero nuptiæ fierent, post legem nati haberent ex lege datam libertatem.

CAP. I.

Ut natus ex adscriptitio & libera sit liber.

NE igitur liceat artibus uti & malignari: & possessionum nocere dominis talibus interpretationibus, propterea sancimus, omnes qui nati sunt a tempore legis [25], hos solutos esse adscriptitia fortuna, si ex liberis nascantur matribus, omne præteritum antiquæ servando legi.

CAP. II.

Ut venerabilium locorum œconomi res ecclesiæ permutare invicem possint, excepta ecclesia Constantinopolitana.

QUia [26] igitur nuper [27] scripsimus legem, medentes iis quæ de ecclesiasticis alienationibus fiunt, & volentes, si quidem publicum debitum sit, posse eas alienare cum omni subtilitate secundum legis observationem. Si vero privatum debitum est, pro [28] soluto dare rem immobilem, & in nullo videri offendere positam legem, quæ omnem alienationem prohibet: etiam illud adjicimus, & per quandam inevitabilem occasionem & utilem danti & accipienti venerandæ domui: hoc est, aut ecclesiæ ad ecclesiam, aut ptochotrophii ad ptochotrophium, aut xenodochii ad xenodochium, aut simpliciter venerabili domui ad aliam reverendam domum: hoc est, aut ecclesiam ad ptochotrophium, aut monasterium ad venerandam domum, aut xenodochium, aut nosocomium, aut illis ad ecclesiam, aut alterutrum, aut unum horum quæ prius a nobis sunt dinumerata, aut alteri cuilibet venerabili domui, licentiam damus præfulibus horum monasteriorum per hanc legem commutationem [29] facere, & hoc valere: & non [30] solum imperium (sicut prior dabat lex) licentiam habere commutare, sed etiam venerabiles domos, quæ [31] regi omnium Deo dedicatæ sunt: sic tamen ut etiam decretum [32] interponatur cum omni subtilitate & jurejurando: & apud locorum metropolitam hoc considerari: & si revera probatum fuerit cum jurejurando, quia utile est utrique parti hoc agi, ratum esse & valere, & non egere neque speciali jussione, neque pragmatico divino typo: habentibus quippe iis qui ad talia conveniunt, magni Dei judicium, si quidem prævaricati fuerint horum quæ competunt, aut quoddam colludium fiat, aut aliquid propter utilitatem utriusque geratur partis. Nam etiam maledicta his omnium terribilia imminebunt, & quæ inferunt eloquia divina peccantibus, & quæ nunc eis disposita sunt, si quid autem prætermittatur, & postea demonstretur maligne factum: pro non facto erit. §. 1. Excipimus [33] etiam hac lege sanctissimam majorem [34] ecclesiam: sicut etiam priori: illam namque in priori prohibitione alienationum stare volumus, quoniam & hoc ipsis gubernatoribus ejus sanctissimis viris videtur.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ nobis bene & sancte visa sunt, & per hanc sanctam declarata sunt legem, in omnibus gentibus quibus præes, per præcepta propria solenniter faciat manifesta. Dat. 15. Kal. Sept. CP. Imper. Dom. Justin. Anno XI. [35] post BELIS. V. C. CONS. Anno 2.

TIT. X.

UT DE CÆTERO [36] COMMUTATIONES [37] ECCLESIASTICARUM RERUM NON FICTE FIANT AD PIISSIMUM IMPERATOREM, ET HOC MODO AD ALIAS PERSONAS TRANSEANT RES: SED HÆC TANTUMMODO FIANT AD IMPERIALEM DOMUM: ET UT LICEAT PERPETUAS EMPHYTEUSES [38] AGI AB ORATORIIS IN ORATORIA, DECRETO VIDELICET INTERPOSITO: EXCEPTA HAC MAJORE ECCLESIA: NEC TAMEN IN PRIVATAM PERSONAM TRANSEAT EMPHYTEUSIS.

1 Liberi & uxor percipiunt annonam seu scholæ placitum militiæ defuncti, & creditori præferuntur: quia & si non sint heredes defuncti, scholæ placitum ad eos lege defertur, Jul. *hic*, *l.* 11. *in fin. Cod. de proxim. sacror. scrin.* Quod si creditor eum in sinem pecuniam credidit, ut militia emeretur, eamque specialiter pro debito pignoravit creditori, erit eo casu potior muliere liberisque defuncti, §. *b. t.* adde Anton. Mercatorem 3. *Not.* 14. 2 Id est, etsi patri heredes non extiterint. 3 Hujusmodi enim militia pignorari potest & vendi. 4 Et quæ quartam partem bonorum defuncti mariti capere debet, Jul. *c.* 192. vel ita, quæ partem percipit in bonis mariti defuncti: seu de legitima, quæ uxori inopi debetur ac præstatur in bonis mariti mortui. 5 Hinc sumpta est Authentica, *Præterea. C. unde vir & uxor.* 6 Alias non, *l. un. C. unde vir & uxor. l.* 3. *C. quæ. bon.* §. 2. *J. h. t.* Jul. *hic.* 7 *l.* 11. *C. de repud. Nov.* 22. *c.* 18. 8 Si tres liberi defuncto fuerint, & uxor ejus inops, uxor quadrantem accipiet: si plures, virilem usufructu tenus. *Nov.* 117. *c.* 5. quin, proprietatis jure, ex Nov. Leon. 106. 9 *Novell.* 74. *cap.* 5. *in fin.* 10 Mulier inops potest agere ad supplementum quartæ sibi debitæ in bonis mariti locupletis. 11 Quartam viro competentem in bonis uxoris locupletis defunctæ observa. 12 Mulier res suas mortuo marito retinere potest ac vindicare: & ita mariti creditores excludere, nisi marito successerint. 13 Dives uxor quartam non habet in bonis mariti. 14 Indotatæ uxori maritus donare propter nuptias non potest: ultima tamen voluntate aliquid ei relinquere potest. 15 Id est, anno 537.

16 Id est, legem ultimam *C. de agric. & censitis.* 17 Ut constitutio, quæ de adscriptitiis agit, locum habeat, ex quo publicata est. *Interpret. Scrimg. edition.* De his, qui ex libera matre & adscriptitio patre nati sunt. Jul. *const.* 48. De colonis natis ex liberis personis, *Index Regina apud* Cujac. hoc pertinet *c.* 1. *J. h. t.* 18 Ut cuiusque orationis domui, & alii loco sacro cum simili domo aut loco interposito decreto immobilium possessionum commutationes facere liceat, *Interpret. Scr. edit.* si venerabilis locus cum alio venerabili loco nominatim dicum fuerit, Jul. *hic. const.* 48. Ut loca sacra prædia inviccm commutare possint. *Index Regina apud* Cujac. Hic pertinet *c.* 2. *J. h. t.*

19 Undecimo libro Codicis. Jul. *c.* 193. *l. ult. C. de agricol. & censitis.* 20 Hinc sumpta est Authentica, *Antiqua. C. de infantibus exposi.* 21 *d. l. ult.* 22 Olim qui nascebatur ex adscriptitio & libera, erat adscriptitius: hodie ingenuus, *ut hic*, & *d. l. ult.* Qui sic nascitur in Africa, liber quidem est & res proprias habet: in ordine tamen colonorum est, nec potest prædium dimittere, in quo natus est, & alienum exercere. vid. *const. quandam just. apud* Cujac. *d. const.* 28. *eaque extat in Nov.* 162. *c.* 2.

23 Ex libera matre qui nascitur, ingenuus est. 24 Lex non porrigitur ad præteritos casus, nisi nominatim dictum fuerit, vide *l.* 7. *C. de legibus.* 25 Id est, *d. l. ult.* 26 Hinc sumpta est Authentica, *Item. C. de sacr. eccl.* 27 *Nov.* 46. adde *Nov.* 7. 28 *d. Nov.* 46. *c.* 2. 29 Permutationes bonorum ecclesiasticorum ut fieri possint. 30 Non soli imperatori permutare cum ecclesia licet res immobiles, sed & ipsis ecclesiis. 31 Argumentum obiciva: Res principis immobiles cum ecclesia possunt permutari, ergo & ipsius Ecclesiæ: quia Ecclesiæ omnes summi principis, nempe Dei sunt. 32 Dixi ad *Novell.* 46. 33 *Nov.* 46. *c.* 3.

34 Sanctæ Sophiæ. 35 Id est, 537.

36 Ut in posterum. 37 De permutatione rerum ecclesiasticarum, *interpretatio Scrimger. editionis.* Ut cum solo principe sacrorum bonorum permitatio fiat. *Index Regina.* 38 De emphyteusi rerum ecclesiasticarum. *Scrimg.* Ut liceat venerabilibus locis perpetuos contractus emphyteuseos inter se facere. Jul. *const.* 19. Ut loca sacra invicem perpetuam emphyteusim contrahere possint, *Index Regina.*

NOVELLA CONSTIT. LV.

Imp. Justin. August. Mennæ archiepiscopo Constantinopolitano.

PRÆFATIO.

LEgem scripsimus dudum, ecclesiasticas quidem alienationes [1] prohibentem, solam autem commutationem permittentem sanctissimis ecclesiis, necnon sanctissimæ majori ecclesiæ hujus felicissimæ civitatis, dum imperium accipere aliquid ab aliqua venerabilium domuum voluerit, postea siquidem aliam scripsimus legem [2], qua excepimus sanctissimam majorem ecclesiam, permittentes, quasdam alienationes quas illa lex dicit. Quia vero cognovimus eo quod aliqui prioris constitutionis capitulum, quod de permutatione competentium rerum sanctissimis domibus ad imperium scripsimus, ad artem legi contrariam converterunt: postulaveruntque nos quidem a sanctissima ecclesia accipere, his autem hæc dare, hinc aggressi sunt multi quidem similibus petitionibus nitentes sacram circumvenire constitutionem. Quæcunque ergo gesta sunt a nobis usque ad præsentem diem, hæc sub schemate quod nunc est, valere volumus, nullo permutando horum quæ jam a nobis cum sanctissima ecclesia in talibus contractibus gesta sunt, aut cum iis qui hæc a nobis perceperunt.

CAP. I.

DE cætero autem sancimus, nulli penitus ullam esse licentiam aliquid tale agere: sed illas solas valere permutationes, quæ ad imperialem domum in hoc factæ sunt, ut perpetuo apud imperium maneant, & non [3] transferantur ad privatum: neque illarum jus per medium imperium ad eos proficiscatur. Sed si quid tale fiat, licentiam damus reverendissimis œconomis res apprehendere hujusmodi, & trahere eas rursus ad sanctissimam ecclesiam, tanquam si nec ab initio contigisset permutationes harum ad imperium factas: sed servari hoc schema in perpetuum ex præsenti die inchoatum, omnibus, quæ dudum (sicut prædiximus) post priorem legem secundum modum prædictum gesta sunt. Nunc autem quidam, illorum exemplo utentes, & nobis esse molesti, & sanctissimam majorem ecclesiam hujus felicissimæ civitatis circumvenire: quod per omne tempus nullo modo fieri volumus. Sed & si fiat quolibet schemate, hoc etiam infirmum esse, & a sanctissima majore ecclesia in perpetuum vindicari: nulla ei temporis præscriptione in hoc objicienda.

CAP. II.

Ut ecclesiis inter se liceat perpetuos contractus emphyteuticos facere.

ILlud quoque sancimus, ut aliis omnibus de jure emphyteuseos sanctis, & in sanctissima majore ecclesia, & in aliis omnibus venerabilibus domibus proprium robur habentibus, licentia sit sanctissimis ecclesiis & venerabilibus domibus ad invicem [4] & emphyteusim perpetuam agere: decreto quippe hic faciendo: excepta quidem hac sanctissima majore ecclesia in hac celebrata emphyteusi: ut non ad privatam personam extendi omnino possit.

EPILOGUS.

† Tua igitur beatitudo, quæ jussa tuæ a nobis, custodiat: & iis, quæ sub ea metropolitanas sedes habent, faciat manifesta, ut & ipsi quæ nobis placuerunt cognoscentes, nihil horum prævaricari præsumant: erit enim universis a Deo judicium & exinde pœna, si quid præter hæc aut ipsi egerint, aut agi permiserint. Dat. 3. Non. Novemb. CP. Imperat. DN. JUSTIN. PP. Anno XI. post BELIS. V. C. CONS. Anno 2. Indictione prima [5].

TIT. XI.

UT EA QUÆ VOCANTUR INSINUATIVA [6] SUPER CLERICIS, IN MAJORE ECCLESIA QUIDEM DENTUR: IN ALIIS AUTEM ECCLESIIS PENITUS NON DENTUR.

NOVELLA CONSTIT. LVI [7].

Imperator Justinianus Augustus, Mennæ Archiepiscopo civitatis regiæ Constantinopolitanæ.

PRÆFATIO.

PLurimas additiones suscipientes, hanc legem dirigere ad tuam beatitudinem justum existimavimus. Qui enim ordinantur a tua reverentia clerici in sanctissimis ecclesiis (absque tamen sanctissima majori ecclesia) omnium patiuntur crudelissima, non suscipientibus eos illic ecclesiis, antequam [8] quantum voluerint accipiant aurum: & novimus hoc ex frequentibus additionibus de hoc factis nobis.

CAP. I.

SAncimus igitur, beatitudinem tuam hoc validissime custodire, ut si quidem consuetudo est dare eos, qui ordinantur in sanctissima majori ecclesia, hoc eos præbere: nihil enim de iis quæ dantur in sanctissima majore ecclesia novamus. Præterea vero in aliis omnibus nulli in eis clericorum licentiam esse penitus pro iis quæ vocantur insinuativa [9], aliquid ferre. Sed & si quis tale aliquid egerit, illum quidem privari [10] facerdotio: in illius autem officium introire qui missus est: & hanc eum avaritiæ ferre mercedem: custodire vero hoc etiam Deo amantissimos defensores sanctissimæ majoris ecclesiæ, pœnam formidantes decem librarum auri, si quid horum neglexerint: sed gratis omnia procedere. Deinde [11] etenim defunctiones & ministeria non per venditionem [12], nec per mercationem fieri aliquam volumus, sed pure & citra redemptionem, sic enim rei digni fient nulla venditione ac mercatione facienda.

EPILOGUS.

† Tua igitur beatitudo, & qui postea in pontificalibus accesserint sedibus: quæ a nobis ordinata sunt, & per hanc declarata sunt legem, operi effectuique tradere festinet. Dat. 3. Kal. Novemb. CP. Imp. DN. JUSTIN. Aug. Anno XI. post BELIS. V. C. CONS. Anno 2. [13].

TIT. XII.

UT CLERICI QUI RECEDUNT [14], ALIIS PRO EIS SUBROGATIS, PRÆBEANT SUBROGATIS [15] EMOLUMENTA: RECEDENTES AUTEM REMEARE VOLENTES NON SUSCIPI: ET UT SI [16] QUIS ÆDIFICANS ECCLESIAM, AUT ALITER IN EADEM SERVIENTIBUS MINISTRANS EMOLUMENTA, VOLUERIT ALIQUOS CLERICOS INSTITUERE: NON FORTUITE EOS; SED PROBATIONE SANCTISSIMI PATRIARCHÆ SUSCIPIAT.

NOVELLA CONSTIT. LVII.

Imper. Justin. Aug. Mennæ sanctissimo hujus regiæ urbis archiepiscopo & universi ejus tractus Patriarchæ.

PRÆFATIO.

PLurimi sæpe clerici quibusdam orationis observientes domibus, aut etiam forte ab aliquibus prius instituti, ministrantur eis ab aliquibus solemnes expensæ: deinde separant semetipsos a divinis omnino sacramentis propter quas ipsi noverunt causas, aut pro qualibet occasione recedunt omnino a sanctissima, in qua constituti sunt, ecclesia.

CAP. I.

De clericis subrogandis in locum desertorum clericorum.

SAncimus igitur, non [17] ex hoc fieri prohibitionem sacro ministerio, sed alios subrogari [18] a Deo amantissimis episcopis, sub quibus ipsæ constitutæ sunt ecclesiæ, & eos hæc accipere. Non enim volumus aliquibus dari lucra [19] quæ jam eis per ipsos aut propter ipsos expendebantur sanctissimis ecclesiis; quoniam nolumus per quamlibet occasionem lucrum aliquos facere ex aliorum [20] fraudatione: sed quæ ab initio ministrabantur semper dari, & non sacrum ex hoc ministerium corrumpi, non existente licentia, postquam statuti fuerint aliqui pro prioribus clericis aut a sanctissimo patriarcha aut a provincialibus episcopis, rursus recedentes denuo remeare velle, & expellere subrogatos: & cogi duplicia [21] ministrare eos qui faciunt talem expensam: dare etiam subrogatis, & denuo remeare volentibus: sed illos quidem revertentes non suscipi. Qui vero post decessum priorum statuti sunt, eis dari emolumenta, nullo vero hinc ministrantibus accessu talia lucrari nitentibus: ex sua substantia omnino præbentibus his qui ab eis statuti sunt emolumenta, & omnes expensas: heredibus eorum & successoribus scientibus, quia si etiam post hæc fraudaverint, certa possessio deputabitur ex eorum substantia sacris nostris privatis, ut hinc ministratio eis fiat.

CAP. II.

Ut fundatoribus ecclesiarum facere in eis clericos non liceat, sed tantum præsentare.

ILlud quoque ad honorem, & cultum sedis tuæ decernimus, si quis ædificans ecclesiam, aut etiam aliter expendens in ea ministrantibus alimenta, voluerit aliquos clericos statuere: non [22] esse ei fiduciam ullam quos vult per potestatem deducere tuæ reverentiæ ad ordinandos eos, sed examinari a tua sanctitate: sententiaque tua, & qui pontificalem sedem rexerit, semper hos suscipere ordinationem, qui tuæ beatitudini & qui postea opportuni videbuntur existere, & Dei ministerio digni: ut [23] non profanentur sancta Dei, (hoc videlicet quod sacris sancitur [24] eloquiis) sed intacta hæc & ineffabilia tremendaque constituta, sancte & Deo amabiliter & venerande tractari.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc sacram declarata sunt legem, beatitudinem tuam servare perpetuo sancimus: cognoscentes, quia non minus nobis curæ est sanctarum ecclesiarum conservare utilitatem, quam ipsius animæ. Dat. 3. Non. Novemb. *Constantinop.* Imp. DN. JUSTIN. PP. August. Anno XII. post BELIS. V. C. CONS. Anno tertio [25].

1 *Novell.* 7. 2 *Nov.* 46. *c.* 3. *Nov.* 54. *c.* 2. *in fin.* 3 Res ecclesiasticæ delatæ ad imperatorem causa permutationis, privatorum fieri non debent. Sed hoc abrogatum est, anno 554.

4 Ecclesiæ ad ecclesiam permissa permutatio. 5 Id est, anno 554.

6 Εμφανιστικά. *Scr.* De emphanisticis, quæ a clericis exiguntur, Jul. *const.* 40. ut in sola ecclesia Constantinopolitana præbeantur insinuationes. *Index Regina.* Insinuativa sunt, quæ novi clerici dant veteribus pro suo introitu, *pour leur entrée & bien venue.* Quæ dant Episcopi Enthronisticæ, *Nov.* 123. *cap.* 3. cathedratica Juliano & Alexandro, *c. Ecclesiac. Canon.* 7 Et hujus Novellæ mentio in quodam scholio 3. *Eclog.* 1. *cap.* 42. illud, Gratis accipitis, gratis date. 9 Hinc hodie sacerdotes essent. 10 Si hæc constitutio usitata esset, pauci ὑπηρετίας ἢ κατὰ πράσιν &c. id est, nam domini Dei ministeria & functiones non Magno fiebant, qui primus sceleris hujus detestandi auctor fuit, vid. *l.* 31. *Cod. de Episcop.*

11 Τοῦς ὑπὲρ τῦ θεσπότε Θεῦ λειτυργίας τε καὶ ὑπηρεσίας ἢ κατὰ πράσιν &c. id est, sed gratis dari. 12 Simonia est, spiritualia sive adnexa emere: a Simone Mago sic dicta. 13 Id est, anno 554.

14 De clericis, qui a suis desiderunt ecclesiis, *interpret. Scrimgeriana editionis.* Si ecclesiam suam clerici dereliquerint, Jul. *const.* 51. ubi hujusmodi desertores vocat desertores. 15 De subrogatis clericis. *Index Regina.* hoc pertinet *cap.* 1. 16 De his, qui ædificant εὐκτηρίου οἴκου, id est, orationum domus. *Scrimger.* De eo qui ecclesias ædificat, vel annonas clericis donat, Jul. *d. l. cap.* 19. ut qui ædificant eadem sacram, ordinent in ea clericos Patriarchæ auctoritate, *Index Regina*, hue pertinet *c.* 2. *Nov. Leon.* 8. 18 Clericos deferror non privatur clericatu, sed ejus loco alius subrogatur. 19 Diaria, fabria, *Jul.* sportulas, Cypr. *t. epist.* erogationes annonarum, *Novell.* 8. citaria, *l.* 99. *ff. de legat.* 3. κτήσεις, χορηγίαι. *Infr. h. t.*

20 Alterius fraudatio, nemini adjumento esse debet. 21 Id est, condupliceas impensas suffinere. 22 Qui ecclesiam ædificant, aut de suo clericis præbent annonas, jus habent instituendi & substituendi clericos, quos voluerint (id vulgo appellatur *jus patronatus*) dummodo prius eos obtulerint & commendaverint episcopo, cui diœcesis admittere, vel annonas clericis donare licet. *Nov.* 123. *c.* 18. de hoc jure latissime scripsit Rochus a curte, *Tractatu de jure patronatus.* 23 Ὅρα μὴ βεβηλῶσι τὰ ἅγια τῦ Θεῦ, Scrimg. 24 *Ezechiel.* 20. τὰ ἅγια ἢ βεβηλάσετε. 25 Id est, anno 555. quæ subscriptiones Cujacio non probantur, ut plerique alia harum *Novellarum* 4. *observ.* 28.

TIT. XIII.
UT IN PRIVATIS DOMIBUS SACRA[1] MYSTERIA[2] NON FIANT[3].

NOVELLA CONSTIT. LVIII.

Imperator Justinianus Augustus Menæ archiepiscopo regiæ civitatis Constantinopolitanæ.

PRÆFATIO.

ET priscis sanctum est legibus, nulli penitus esse licentiam, domi quæ sacratissima[4] sunt agere: sed publice finere procedere in credulitatem, & Dei culturam, secundum sanctionem de his sacratis actibus traditam. Et nos etiam hanc in præsenti ponimus legem, quam cum omni cautela teneri volumus. Omnibus enim interdicimus magnæ hujus civitatis habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos: & in his sacra celebrare mysteria[5]: & hinc fieri quædam Catholicæ, & Apostolicæ traditioni extraneæ. Sed si quidem domos ita simpliciter aliqui habere putant oportere in sacris suis, orationis[6] videlicet solius gratia, & nullo celebrando penitus horum quæ sacri funt mysterii, hoc eis permittimus. Invidia enim nulla est, si volunt circa hæc habere habitacula quædam, & in eis tanquam in sacris orare, aliis autem omnibus abstinere: nisi tamen in eis voluerint aliquos invitare clericos, hic quidem sanctissimæ majoris ecclesiæ, & sub ea sanctissimarum domuum, voluntate ac probatione sanctissimi archiepiscopi ad hoc deputatos: in provincia vero Deo amabilium episcoporum: nulla novitate sedi ejus beatitudinis ex præsenti nostra lege facienda circa existentia ei quolibet modo in ordinationibus aut gubernationibus hic aut in provinciis jura: sed omnibus etiam competentibus ei quolibet modo & tempore, ratis nunc & in omne reliquum tempus servandis: sanctimus tuam hæc conservare gloriam, & manifesta omnibus per literas proprias constituere, quatenus per omnia valeat lex. Hæc enim & gloriosissimo præfecto felicis hujus urbis, & sanctissimo archiepiscopo, & universali Patriarchæ præcipimus, ut ex civili & sacerdotali virtute hæc perpetue custodiantur. Sciant enim & ipsi domuum domini: quia si non hæc custodierint, ipsi quidem sub imperiali fient motu: domus[7] autem in quibus aliquid tale agitur, & publice fient, & sub sacratissimum nostrum ærarium deducentur. Si autem & aliquos contingat tale aliquid in suis habere domibus: sciant quod nisi intra tres menses, ex quo hæc lex insinuata fuerit, hæc correxerint, & ad figuram a nobis ordinatam deduxerint, sub prædicta pœna fient. Hæc autem agi cum veritate, non per aliquam calumniam volumus: *Veracium*[8] *enim solummodo sumus amatores*. Hæc sancimus tuam custodire cellitudinem, & nihil tale fieri concedere. Scito enim quia si didicerimus, quod tibi tale aliquid denunciatum, deinde non prohibuisti aut tu, aut successores tui quindecim, ipse quidem quinquaginta librarum auri expones pœnam, & qui successores cinguli tui fuerint: parens autem tibi officium, idem sustinebit damnum, quia rem nobis studiosam, & sanctissimæ ecclesiæ custodientem unitatem, & prohibentem quæ a nobis aperte interdicta sunt agi latenter, passum est despicere commissum: & circa ipsum cingulum periclitabitur: insuper & ipsam domum in qua aliquid tale agitur, fieri publicam & sub sacratissimum venire ærarium.

EPILOGUS.

† Scriptum autem est a nobis & sanctissimo Patriarchæ felicis hujus urbis, ut & ipse hujus ponat rei providentiam. Volumus enim facerdotaliter & judicialiter hæc servata durare in reliquum tempus immutilata. Dat. 3. Non. Novembr. CP. Imp. Dom. JUSTIN. PP. A. Anno XI. post BELIS. V. C. CONS. 9.

TIT. XIV.
DE DEBITA IMPENSA[10] IN EXEQUIIS DEFUNCTORUM.

NOVELLA CONSTIT. LIX.

Idem Imperator Justinianus Augustus Joanni præfecto prætorio, iterum exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

SIngula bonorum operum a nobis Dei auxilio oportet accipere principium, aut si qua, ea quæ aliis facta sunt bona, secuta est corruptio, hanc emendari a nobis & in antiquum reduci ordinem. Ut nos aut factione rei aut correctione ad bonos actus studeamus habere semper participium. Quale videlicet aliquid & super exequiis defunctorum factum non recte perspeximus emendare, & donare omnibus, ne duplicem sustineant difficultatem simul quidem ut quæ sua sunt amittant, simul autem ut pro se damnificentur. Sed quod *Constantinus*[11] piæ memoriæ recte cogitans disposuit, & post hæc *Anastasius* piæ memoriæ firmavit, adjiciens etiam reditus caufæ, hoc nos ipsi cum periculum patiatur cadere, reparare & dare cum omni cautela & terminis competentibus cogimur, illud facientes manere immortale. Constantino[12] enim piæ memoriæ nongentis[13] octoginta[14] ergasteriis, ex diversis corporibus felicissimæ hujus urbis, fine tributis dante sanctissimæ majori ecclesiæ; Anastasio[15] vero piæ memoriæ non solum ergasteriis illis quinquaginta & centum adjiciente, sed & reditum[16] certum largiente per duas pragmaticas formas, quatenus quod ex ipso reditu colligitur aurum, proficiat ad ea quæ dantur a Deo amabilibus œconomis his qui ad hoc laborant: plurimi plerumque adierunt nos, dicentes non similiter causam procedere, neque sine mercede fieri defunctorum exequias, sed exigi amare, & invenire plurima foris nomina & corpora quæ etiam invitos exigunt lugentes, & cogunt dare non habentes, hæc omnia justum judicavimus competenti correctione digna facere.

CAP. I.

PRimum itaque ea quæ per ergasteria plurimam fuscepérunt læsionem & deminutionem, ad plenum restituimus sanctissimæ majori ecclesiæ sacram propter hoc scribentes formam ad urbis præfecturam, quatenus ipsa cum obediente sibi officio traderet mille[17] centum ergasteria omnibus modis Deo amantissimis ecclesiæ defensoribus & œconomis sanctissimæ dictæ ecclesiæ: octingentis quidem in corporibus ergasteriorum prædendis Deo amantissimis defensoribus, trecentis autem[18] Dei cultoribus œconomis, ut Deo amabiles œconomi habeant quadraginta[19] ergasteria, & reditum ab Anastasio divæ memoriæ donatum, nequaquam querentes tanquam minus sit, sed supplementum ex trecentorum ergasteriorum datione habentes, facere menstruorum expensas, & decanis, & aliis ordinibus, Deo vero amabiles defensores habentes octingenta ergasteria & appellatos lecticarios præbere & aliud ministerium facere quod defunctorum exequiæ volunt, quatenus per hoc damna auferantur lugentium.

CAP. II.

OPortet ergo supradicta mille centum ergasteria custodiri & Deo amabilibus œconomis & defensoribus semper sine tributis & sine diminutione, & supplenda a gloriosissimo præfecto felicis hujus urbis, si quis fiat casus quolibet modo aut mutatio horum faciei aut mercationis, ut Deo amabiles quidem œconomi[20] habentes prædiorum administrationem quæ sepulchris deputata sunt, habentes etiam sine tributis trecenta ergasteria, defensores autem octingenta, circa exequias defunctorum faciant gubernationem, ea quidem quæ ex prædiorum reditu accedunt a Deo amabilibus œconomis dari sepulturis, sicut descendentes diximus, adjecto etiam ex trecentis ergasteriis cremento, quod etiam ipsum in ipso opere percipere petierunt. Quia igitur mille centum ergasteriorum in hac existentium felici urbe plurima ceciderunt, præcipimus secundum præsens tempus repleantur, & horum mille centum ergasteriorum numerum imminutum conservatum & sine tributo, divisum secundum dictum a nobis modum servari & Deo amabilibus œconomis & Dei cultoribus defensoribus: ut tamen non minus sint Decani seu laboratores[21] octingentis deputati Deo amabilibus defensoribus, pro vero trecentis datis Deo amabilibus œconomis, licentiam his esse iisdem Deo amabilibus viris si voluerint, in corporibus accipere trecenta ergasteria, aut omnia aut quædam ex his, aut percipere occasione appellatorum excusatorum, pecunias pro cunctis aut pro aliquibus ergasteriis, ipsasque pecunias, quas hactenus non habebant, (sicut & ipsi nostram docuerunt potestatem) expendere circa defunctorum exequias, ut ex his pecuniis & ex reditibus prædiorum distributio fiat & decanis[22] & asceteriis[23] & canonicis, [& acolythis[24]] sicut descendentes ordinavimus. Iisdem enim Deo amabilibus œconomis docentibus quia jam impossibile est ex prædiis de cætero eundem reditum servari, recte nos trecentorum ergasteriorum crementum distribuimus huic parti, quatenus, quod inculpabiliter hactenus datum est laborantibus, circa funerum exequias, & deinceps detur, hoc est per singulum mensem quadringentos solidos dividendos Decanis & acolythis & asceteriis, & canonicis[25], secundum eam, quæ hactenus apud eos tenuit consuetudo: hoc est decanis quidem per singulos menses centum octoginta duos solidos, asceteriis autem nonaginta [unum] solidos, & acolythis nonaginta unum solidos, & canonicis triginta & quinque solidos, congregandos quidem ab eisdem Deo amabilibus œconomis, solvendos autem in eis, qui consueverunt accipere, per sex menses.

CAP. III.

OPortet autem competentem quidem auri partem reverendissimis asceteriis[26] dari, per Deo amabiles œconomos secundum[27] dictas inducias, Eugenio Deo amabili diacono & xenodocho Sampsonis[28] sanctæ memoriæ Xenonis, & ejus qui per nos constitutus est, & his qui erunt post eum Deo amantissimi xenodochi memoratorum xenodochiorum, eo quod asceteriæ ad hoc ministrantes opus sub xenodochis per tempus memoratorum venerabilium xenodochorum constitutæ sint, quod autem contingit Acolythos & reverendissimas canonicas similiter dari ab eisdem Deo amabilibus œconomis, & qui nunc præsunt eis, & quibus per tempus præsulatus earum committitur, ut per eos distributio fiat prædeclaratis, & sub eis constitutis asceteriis & canonicis, necnon & acolythis: Si vero retro[29] fecerint circa talem solutionem Deo amabiles œconomi: & hoc palam fiat intra sex menses, in secundo semestre veniente, si nullam fecerint solutionem, tunc omne quod post primum semestre debetur, exigi semper a Deo amabilibus œconomis, cum usura tertiæ[30] partis legitimæ centesimæ post semestre tempus, proventiam hujus ponente per tempus sanctissimo archiepiscopo & patriarcha felicis hujus urbis sanctissimæ majoris ecclesiæ.

CAP. IV.

SI autem & alter annus transeat, & neque sic aliquid exsolvant Deo amabiles œconomi reverendissimis mulieribus aut memoratis decanis, licentiam esse per tempus sanctissimo patriarchæ, non solum exigere Deo amabiles œconomos debitum cum dicta usura, sed etiam dare eos cogere quæcunque decreta sunt, (& si voluerit sanctissimus Patriarcha) expellere eos a gubernatione prædiorum, & exigere horum faciem puram ab eis qualis est. Horum omnium solicitudinem ponente pro tempore beatissimo archiepiscopo & universali patriarcha, sub quo sunt & Deo amabiles œconomi & omnis clerus, & universus sanctissimæ majoris ecclesiæ status. §. 1. His ita factis nullum penitus ab invito percipere pro mortuo corpore tutato[1] quicquam. ut autem discreta sint omnia, sancimus singulo lecto gratis dato unum asceterium[2] dari, asceteriarum aut canonicarum non minus octo mulierum præcedentium lectum & psallentium & tribus acolythis, qui nihil penitus accipient. Si tamen quis voluerit competentium defuncto & exequias facientium ipse sponte, cogente nullo & aliud asceterium unum[3] aut duo aut etiam amplius assumere: hoc fit quidem ejus munificentiæ, tamen neo hoc indefinitum relinquimus, & hic eandem mensuram esse volumus harum quæ per munificentiam assumuntur asceteriarum seu canonicarum, & acolythorum, quam superius definivimus, non minus octo asceterias seu canonicas esse, quæ ex unoquoque asceterio assumuntur, & tres acolythos per singulum asceterium.

CAP. V.

DAre autem asceteriis seu canonicis his, quæ circa id gratis ministrare sumuntur, si quidem intra novos[4] muros felicis hujus urbis sint exequiæ, usque ad ternos[5] solidos, nihil ex hoc acolythis penitus recipientibus, neque dividentibus hæc cum reverendissimis asceteriis aut canonicis. Acolythis autem qui præter res gratis ministrantes sumuntur, siquidem alii tres sint, fieri contentos siliquis tribus: si vero sex, siliquis sex: & deinceps secundum hunc modum etiam de his gubernari. Certum vero est, quia si & spatium plus consistat, & qui[6] lecto ministrant decani plures sint, asceteria plura propter hujus oneris partem, etiam aliquid & ipsis dabitur secundum similitudinem ad asceteria discipliniæ laborantium, ut differentia laboris videantur aliquod & ipsæ habere hinc solatium. Videtur autem intra novos muros & transitus[7] Justinianarum[8] seu Sycorum, quoniam non longe constitutæ (neque) egeret ampliori tempore vel labore ad veniendum ibi. Si vero foris novos muros felicis hujus urbis exequiæ fiant, aut etiam in aliis[9] transitus citra quam dictum est, tunc asceterias quidem seu canonicas dimidiam partem solidi accipere, neque hic communicantibus penitus ullo modo eis acolythis. Ipsis autem acolythis in singulo asceterio quatuor accipientibus siliquas, & ultra hæc nihil, secundum memoratam divisionem, asceterio sequente gratis datum lectum cum tribus acolythis, & ipso omnino veniente, per octo asceterias aut canonicas, & tres (sicut dictum est) acolythos, & nihil penitus accipientibus, neque per circorum[10] dationem exigentibus, & aliam mensuram adinvenientibus sub alio velamine.

CAP. VI.

HÆc itaque omnia definivimus super his, qui non per munificentiam quærunt duos majores lectos in venerabili vasorum[11] custodiario positos. Dicimus autem Studii gloriosæ memoriæ, & Stephani magnificæ memoriæ. Si quis enim illos voluerit accipere, utpote[12] & pluribus hominibus egentes, & custodia potiori & omnimoda curiositate egentes, hoc non conjungimus his quæ prius diximus, sed tanquam magnificam exhibens voluntatem, quantumcunque pro labore decanis aut reverendissimis asceteriis vel canonicis dare placuerit, tantum & præbeat, non tamen valentibus transcendere decem solidorum quantitatem in duobus lectis Studii & Stephani, in[13] deaurato autem posito in sanctissima majore ecclesia, vel uno solido pro eo forsan faciendo quatuor solidorum, asceteriis autem, & canonicis, & acolythis duplicia accipientibus, quam prius de his definivimus, quippe & ipso asceterio seu canonicis gratis in aliis lectis præcedente, eandem accipiente quantitatem, quam & reliqua asceteria. Hoc ipso & supra acolythis observando quod prædiximus, ut & isti duplum horum quæ jam a nobis ordinata sunt, accipiant: quando unus tamen horum trium fuerit lectus, in quo funus agitur, id volente qui hoc celebrat: quippe Deo amabilibus defensoribus necessitatem habentibus corpora decanorum præbere, ex iis deputavimus octingentis ergasteriis & etiam lectos, non tamen expensas facere aliquos, Deo amabilibus œconomis cogendis, vel ex reditu ab Anastasio divæ memoriæ relicto, vel ex trecentis ergasteriis omnem memoratam expensam fieri circa dictas personas secundum in omnibus ordinatam a nobis divisionem. Sic nihil indefinitum erit, sed mediocres[14] sepulturas fieri volentes hac fruentur dispositione, & ad munificentiam respicientes, non magis damnificabuntur, sed erunt cum mediocritate munifici.

CAP. VII.

HÆc igitur nos decrevimus, & super ergasteriis, & super reditibus, & super exequiis, vel quæ gratis, vel quæ per munificentiam fient. Custodes quoque ponimus, ut imminutus semper custodiatur ergasterio-

1 Id est, curato. 2 Asceterium unum, octo monialibus & tribus acolythis constat. Jul. *hic.* 3 Duobus aut tribus etiam ministeriis funus defuncti prosequi licuit. 4 Qui a Theodosio juniore constituti sunt, *l.* 18. *C. de sacros. eccl. l.* 18. *Cod. de operib. public. l.* 7. *C. de metatis.* 5 Trellem, *Jul.* hic male *tremissem.* trellis, tres asses: tremis tertia pars solidi: *tiers d'écu.* 6 Decani lectis ministrabant. 7 Πέρασμα. *Novell.* 159. trajectus ille maritimus appellatur hodie *Pera.* 8 Justinianæ vel Sycæ, Jul. *hic:* Sycenæ, *Stephan.* Συκαὶ καὶ ὑπὲς Ἰουστινιανὰ πρόαγχος ὀνόματος. 9 Transmarina loca, *Jul.* Constantinopoli etant domus & prædia trans mare, inde cadavera in urbem deferebantur. 10 Κιρκῶν, circorum. 11 Κειμηλιοφυλακείου. De thesauro & cimelio ecclesiæ adde *l. ult. Cod. de bonis autoris. judic. possidentis; l.* 25. *Cod. de agricolis.* De Cimelarchia, *Novell.* 40. 12 Lecti funebres Studii & Stephani pluribus hominibus & custodia potiori & curiositate egebant, ac propterea eorum commodatorum nomine major pecunia exigebatur, non tamen ultra decem solidos. 13 Ἐπὶ δὲ τοῦ χρυσοκόλλου &c. *Scrimp.* pro eo vero, quod auro intertextum est, quodque in sancta majore ecclesia ponitur. 14 Id est, mediocris sumptus. ὁ Cicer. 2. *de leg.* 15 Ἀναστ. ὁ ἀειπόνητος. 16 Quod recte observavit humana cupiditas atque focordia vix fatitur. 17 Est tamen magnæ quæstionis, an in hujusmodi rebus principes successorem obligent? quod vix est, ut obtineat. 18 Ἐξουσίᾳ, autoritate. 19 Πράγματι, occasione. 20 Ἀλλὰ κ. αὐτὸν τὴν βασιλικὴν κατεχέφωμεν εἰς τὸν μέγιστον ἀφορισμὸν ὅστε, ὅτε τοῦ αὐτοῦ τὸν ἐκφόριον κύριοι ἀγγεῖνοι τότε πράγματος πεφυσίν. *Scrimp.* 21 Supernumerarii cadavera mortuorum obvolvere, efferre, sepelire. Epiphanius eos numerat inter veteres Ecclesiæ ministeria. 22 Decani, *l.* 4. *C. de sacr. eccles. l.* 1. *Cod. de collegiat.* lecticarii seu copiatæ, vespillones, νεκροδόροι, Bergenæ, adde *Novell.* 43. *supr. h. t.* 23 Asceteræ & Canonicæ sunt monachæ 2. *Nicæna* 20. Basilius episcop. πρὸς Θεόδωρον κανονικὴν περὶ βίου κανονικοῦ. Macarius Homilia 27. diffunt ab invicem licet Asceteria a monasteriis. Sanctimoniales dicuntur a Juliano hic, earum fuit officium, psallere. Sane Julian. hoc loco Asceterium unum, ex octo sanctimonialibus psallentibus & tribus acolythis constituit: quod Anastasius singulis cadaveribus sive lectis retribuit. 24 Acolythi, quasi afflectæ seu eorum officium erat prælucere & funalia deferre. *Goth.* Vid. *cap. clerov. in fin.* 21. *dist.* Dinaren. *de sacros. lib.* 1. *cap.* 14. Anf. 25 Hinc constat, funerum elationes funpitibus ecclesiæ, non defunctorum fieri solitas non a clericis, sed ab asceteriis mulieribus, acolythis & decanis. Asceteræ psallebant quasi præficæ olim. Acolythi deferebant funalia: Decani ferebant sive lectum, unde & lecticarii & copiatæ, vespillones olim. Cujac. *lib. de diverf. temporib. cap.* 8. 26 Ἀσκητρίοις. 27 Κατὰ τὴν εἰρηνικὴν πρόθεσιν, id est, dicto termino. 28 De Xenodochio Sampsonis alibi dixi. 29 Κατόπιν, id est, coram. 30 Ex mora sex mensium œconomis infliguntur usuræ trientes.

CAP.

rum numerus, non solum gloriosum præfectum hujus urbis, & ei obediens officium, sed multo potius tuam celsitudinem, & qui semper cingulo sunt addendi, cui nunc ipse præsides. Insuper & pœnam definimus & adversus officium tuum, si quis neglexerit, quinquaginta librarum auri, & adversus eos qui semper tuam perceperint sedem, duplicem, ut non concedatur aliquando memoratorum mille centum ergasteriorum numerus deficere, secundum dictam a nobis divisionem: sed si docearis hoc, aut ipse, aut qui post te, hujus omnem ponas providentiam, & procures eum imminutum per omnia perdurare: & inonustum[15] & sine adinventione, & a tua celsitudine & ab omni alia persona, ut non hæc fiat occasio quatenus contra quod definitum est detur aliqua merces pro funere alicujus personæ, nulla[16] discretione facienda personarum defunctarum, sive divites sint, sive pauperes, nisi tantum, sicuti præcedenter diximus, unum trium lectorum elegerint, in quibus competentia dispositimus. Et volumus etiam illa tenere secundum hunc modum, & esse per omnia immutilata & immortalia, hac sacra pragmatica lege per omnia tenente, donec[17] sunt homines, donec magnum & valde laudandum Christianorum nomen in hominibus est, & quotidie per Dei providentiam augetur: providente quippe his, ante alios omnes ipso sanctissimo patriarcha hujus felicis urbis, ut cum pontificali dignitate[18] ipse causa[19] utens, non sinat ab ulla Persona neque facerdotali, neque judiciali, neque aliorum ulla depravari, quæ a nobis ordinata sunt, sed[20] & ipsum imperium conjuramus, ad magnum respicientes Deum, ut semper sceptrorum Dominus vigilanter huic rei provideat. Non enim hoc pro solis mortuis, sed etiam pro viventibus & maxime imperantium salute est, pios actus omnino ad effectum adduci, & non præteribarantium bonum opus a subsequentium desidia perire. Sicut autem ad mille centum ergasteria imminuta & sine tributo servari disposuimus, ita reliqua[21] ergasteria omnia sub tributis constitui sancimus, nullo penitus licentiam habente ea excipere a tributis, neque venerabiles domos, neque ex Xenodochiis, neque ex asceteriis, vel monasteriis, aut alio quolibet, sed neque ipsa imperiali nostra domo, aut qui in principatibus vel potestatibus sunt, sed omnibus ergasteriis similiter agnoscentibus tributa, nec paulatim singula excusare, & proprium levigare, & reliquis paucis existentibus totum imponere pondus, & ex hoc magnum sustinere dispendium, ferre hoc non valentes.

EPILOGUS.

† Tua igitur celsitudo, & qui post eandem administrationem acceperit, & parens tibi officium, quæ placuerint nobis per præsentem divinam pragmaticam formam, nunc & in reliquum omne tempus servabunt. Dat. 3. Non. Novembr. CP. DN. JUSTIN. PP. A. An. XI. post BELIS. V. C. CONS. Ann. 2. 22.

TIT. XV.
UT DEFUNCTI[23] SEU FUNERA[24] EORUM NON INJURIENTUR A CREDITORIBUS[25], ET UT CONSILIARII[26] NON SUSCIPIANT COGNITIONES[27] ABSQUE JUDICIBUS.

NOVELLA CONSTIT. LX.

Imp. Justin. Aug. Joanni gloriossis. sacrorum prætoriorum per Orientem præfecto, iterum exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

QUi varietatem[28] causarum conjiciunt, non facile ad culpam veniunt, si veritatem examinent: quosdam namque verisimile est multitudinem[29] legum, quæ per singula a nobis adjiciuntur, culpare, non considerantes, quia opere[30] semper vocante, consonas causis ponere leges compellimur: cum semper inopinabile emergat, & ab iis quæ jam posita sunt, mederi non valeat: quale quidem nuper est agnitum. Deberi enim[31] sibi quidam dicens ab aliquo, dum hominem in morte cognovisset esse constitutum, milites congregans, & servos alios plurimos, ingressus est super mortientem: verum ille anxiatus clamare cœpit, donec eum violentia compressum reliquisset (spiritus: at ille etiam signacula[32] imposuit rebus sua potestate, præsente nullo in cingulo constituto, aut quolibet omnino legali & civili officio observato: & neque ita recessit, sed etiam defunctum injuriare eum non piguit, primum quidem insistens[33] non fieri exequias: deinde, cum vix cœpisset de domo deponi mortuum, instabat publice portari lectum non finens: neque deducendum dicens, nisi debitum perceperit, donec sponsorem accepit: & ita jam defunctum tradi terræ permisit. Negotium liquidem, quo hæc commissa sunt, competenter dispositum est: oportere autem judicamus etiam generali lege hæc emendare: non sinentes hæc rursus committi semper sine legislatione manentia.

CAP. I.

De creditoribus qui mortuis debitoribus imminent. sic Julianus,

SAncimus[34] igitur, si quis illo superstite adhuc quem putat debere sibi, ascendat domum ejus, & molestus fit superstiti homini, aut qui ejus sunt, uxori forte vel filiis, aut domui omnino, aut etiam signacula[35] per proprium potestatem imponere præsumat, non prius decreto & officio legali servato: post ejus qui dicitur debere, mortem, actione quidem modo[36]

ergasteria ecclesiæ, sumptibus funerum non deputantur. ideoque a tributis non sunt immunia. 22 Id est, ann. 534.

23 Adde *l.* 1. §. 4. *l.* 27. *ff. de injuriis.* 24 Λείψανα. *Scrimp.* Ne reliquiæ debitorum a creditoribus injuria afficiantur. *Index Regina.* De reliquiis live cadaveribus mortuorum alibi, hoc refer c. 1. *J. h. t.* 25 De creditoribus, qui morientibus debitoribus fuis imminent. Julian. *const.* 54. 26 Παρίδρυσι. *Scrimp.* Ne assessores camarum cognitionem suscipiant. *Index Regina.* 27 Μετὰ πρακτικῶν κριτῶν, μὴ τὴν ἀποφάσεις ἐκφέρειν. Serr. id est, neque litis contestationem fieri tantum ferentium ferant. 28 Veritatem εἰ τῆς ἀληθείας τῶν πραγμάτων ἐκζητοῦσι, *Scrimp.* 29 Multitudo legum multutulit actionum impuratur, non volunteri vel studio legislatoris. 30 Necessitate, χρείᾳ. *Scrimp.* 31 3. Harm. §. 6. 72. 32 Vid. *tit. C. ut nemini liceat sine judicis auctoritate signacula rebus imponere alienis.* 33 *Novo.* 115. c. 5. *l.* 38. *ff. de reiv.* 3. §. 4. *l.* 8. *ff. de sepulchro*: *l.* ult. *Cod. de sepulchro.* 7. *Eclog.* 6. *ex l.* 23. *tit.* 2. c. 1. *fol.* 74. Ambrosius *ob. de Tobia*: adde *l.* 3. *in fin. ff. de in jus vocando.* 34 Hinc sumpta est Authentica, *Item qui. Cod. de sepulchro violato.* Goth. De pœna eorum, qui vel ægrotantibus, vel animam agentibus, vel reliquis defunctorum, sub prætextu crediti conlequendi, vid. Rittershus. *part.* 13. c. 6. Anf. Adde Proc. *de jure fiscendi cap.* 5. n. 23. S. L. 35 *cf. l.* 5. *C. ut nemini liceat sine judicis auctoritate signacula* &c. 36 Modis omnibus cadere eii ipso jure cadere: qua de re vide piura apud Matheslanum *singulari* 112. & 115. Ludovicum Romanum, *singulari* 1. Franciscum Clement. *singl.* 7. qui formulas similes esse notat, quoties quid lege jubetur fieri omnino, penitus, mox, illico, funditus &c.

omnibus